









I. N. D. N. J. C.

~~III~~  
14 283

VISIONES JUSTINIANEÆ

De

1691/1

V E N T R E

Embryo

(qui vulgo Hänſgen im Keller)

EJUSQUE JURE,

Q U A S,

S U B P R Æ S I D I O

*VIRI Nobiliſſ. Conſultiſſimi atque Incluti*

A. A. P A G E N S T E C H E R I.

J. U. D. Facultatiſque Juridicæ

Profeſſoris Ordinarii,

*Publice in Auditorio majori a. d. 12. Decembr.*

*horis ſolitis defendendas ſuſcipit*

M A T T H I A S H O B B E L T,

Vefalienſis,

P A R S I.



D U I S B U R G I ad R H E N U M,

Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typograph.

Anno M. DC. XCI.





*Viro Nobilissimo & Consultissimo*

DN. ALEX. ARN. PAGENSTECHEO,  
Jcto & Antecessori Clarissimo, Cognato, Præsidi  
atque Professori suo plurimum observando, bene de  
Studiis suis merito.

*Viro itidem Nobilissimo & Spectatissimo*

DN. CHRISTOPHORO HOBBELT,  
Apud Vesalienses Mercatori Integerrimo, Scabinatus  
etiam, ut & Senatoria Quæstoriaque dignitate  
ibidem conspicuo, Parenti atque benefactori suo ad  
extremum usque vitæ halitum colendissimo.

*Viro item Nobilissimo & Celeberrimo*

DN. THEODORO ROULOFFS, J. U. D.  
Domino Avunculo, nunquam non observando.

Has Studii sui Juridici primitias  
obsequiosissima manu & de-  
voto pectore

*Inscribit & Offert*

MATTHIAS HOBBELT.





VISIONUM JUSTINIANEARUM

De

VENTRE,

PRIMA.



ENTRIS vocabulum cum diversimode accipi possit, *pr. l. de ingen. l. 17. pr. ff. si serv. vind. l. 30. §. 1. de acq. her. l. 14. C. de fideic. libertat. l. 2. §. 6. de excus. tutor. l. 3. C. de Posthum. her. instit. Plaut. Pers. 1. 2. 4. Horat. Sermon. 1. 5. 7. &c. etiam sensu obscœniori, ut apud Phœdrum lib. 4. fab. de Canum legat. ad Jov. Petron. Sa-*

*tyr. p. m. 44. notandum imprimis est quomodo hoc loco id intelligendum veniat. Hanc ob causam, statim frontispicio disputationis inseruimus verba illa tritissima apud nos & notissima Germanica, ne quis in sinistras aut ab instituto saltim nostro alieniores cogitationes abripiatur, sed illico norit, nos hic acturos de homine vel homulo nascituro quamdiu ventre sive utero materno clausus est.*

*§. 1. Hunc embryonem nonnulli cognominant: etsi alii embryonem proprie dici volunt quamdiu lineamenta suæ speciei nondum accepit. Vocatur quoque Postumus §. 1. l. de exher. liber. &c. Alibi Partus l. 39. ff. de pœn. l. 8. ad L. Corn. de Sicar. l. 7. ff. de stat. hom. scil. propter nascendi spem l. 2. mort. infer. Alibi dicitur: ille qui in utero est d. l. 7. l. 1. §. f. & l. 3. §. 9. de suis & leg. Unde sequitur, illum qui in utero nondum est sed futurus est, non haberi*



pro ventre: unde si quis instituat ventrem heredem, non cen-  
 sebitur institutus ille qui postea conceptus est. Menoch. 3. *Consl.*  
 220. n. 113. Unde & per metonymiam continentis pro contento,  
*uterus l. 3. §. 9. de suis.* pari ratione qua, cum in ventre vehatur  
 & portetur venter vocatur *l. 14. C. de fid. libert.* Cæterum Solenni  
 & Juridico vocabulo talis homo Matris adhuc in ventre delitescens,  
 VENTER audit & appellatur. Vide *l. 1. in f. ff. de ventr. inspicio. l. fin.*  
*C. de insit. & substitut. l. 24. pr. ff. de reb. auth. jud. poss. l. 12. pr. ff.*  
*de bon. possess. l. 84. ff. de acq. her. l. 7. §. 10. ff. quib. ex caus. in poss.*  
*eat. rubr. & t. t. ff. Si ventris nomine mulier in possessionem missa & c.*  
*It. Si mulier ventris nomine in possessione calumn. c. esse dic. It. De*  
*inspic. ventre custod. partu. Item: De ventre in possessionem mittendo.*  
 §. 2. Non equidem ignoro duos postremos modo visos ff. ti-  
 tulos, ab Hahnio ad *Wes. tit. de ventr. inspicio. cust. part. n. 1.* Lync-  
 kero ad *d. tit. th. 82.* Struyio *ibid.* aliisque, explicari de muliere  
 prægnante ipsa quæ ventrem gerit: at ego causam nondum vi-  
 deo quæ nos cogat istis in titulis a solenni supra visa *ventris* si-  
 gnificatione recedere. Sane in titulo *De ventre in possessionem mit-*  
*tendo* etiam VENTREM denotare homuncionem nasciturum, tex-  
 tus in *l. 1. §. 2. & §. 6. ibi: venter exheredatus. illum mitti. in utero.*  
*qui editur. ff. d. t. manifeste, ut alia omittam, evincit. Idem ju-*  
*dicium esto de tit. ff. de ventr. inspicio. cust. part. ut lucide, si quic-*  
*quam video, apparet ex l. 1. §. ult. in fine. juncta rubr. & l. 3. 4.*  
*ff. eod.* Verum est, dicitur ipsa quoque mulier in possessionem  
 mitti *l. 1. §. 1. ff. de ventr. in poss. mitt.* Verum quemadmodum  
 VENTRIS nomine id fit, *rubr. ff. si ventris nomine mul. in poss.* ita  
 statim non sequitur, mulierem voce *Ventris* venire. Eadem ratio  
 est *l. 1. §. 6. & 7. ff. de ventr. inspicio. ubi mulier dicitur inspici.* Istud  
 autem non parum quem a nostra explicatione detineat, dissen-  
 tientibus nescio quo fato neglectum, argumentum ab eo desum-  
 tum quod *venter* dicatur non tantum *inspici* sed & *tangi*: *d. l. 1.*  
 §. 10. Sane enim, quomodo partus qui in utero adhuc est potest  
*tangi*, quomodo *inspici*? Et quamvis prius illud explicatū tan-  
 dem (præsertim si quis rei illius peritiam profectos profectasve  
 consulere voluerit) difficile non sit, posterius tamen turbasset  
 me



me fere, nisi amici mei veteres, viri elegantissimi & literatissimi, Suetonius, Terentius, aliique, memoriæ meæ illico suggestissent significatorem verbi *inspicere*, quod idem sit, quod *diligenter rem quandam considerare, accurate perpendere, curiosius examinare, solideque in rei alicujus conditionem inquirere &c.* Vid. Sueton. in *vita Tit. cap. 2.* Terent. in *Adelph. act. 3. sc. 3. v. 61.* Nisi fallor, Petronius Arbiter hoc sensu, *Vires patrimonii inspicere, & a iudice litem sive querelam inspicere*, in Satyrico suo alicubi dixit. Quid? annon *to observare*, quod observavi in *l. 1. in fin. ff. de inspic. ventr.* hanc explicationem juvat? Igitur *venter* hic *inspicitur*, id est, diligentissima & accuratissima exploratio ex omnibus circumstantiis & signis (qualia Medici non tantum, sed & obstetrices, quin & patres matresque famil. non pauca habent) hic instituitur, an mulier prægnans sit & num venter aliquis in visceribus illius lateat?

§. 3. Hujus igitur ventris cum non minorem curam gerant jura, quam natorum jam liberorum, propter spem scil. nascendi, ut ait J.C. in *l. 1. pr. ff. de ventre in poss. mut. l. 14. C. de fid. libert. tum & propter metum subjectionis. vid. l. 1. §. 10. ff. de ventr. inspic.* ut ordinum puta dignitas familiarumque salva sit *d. l. 1. §. 13. &c.* nos etiam eundem non negligemus, juraque ejusdem quantum per temporis angustiam licet nonnulla in exercitium disputatorium anquiremus, eademque prout memoriæ se aut hoc aut illud prius insinuaverit tumultuario fere ordine heic proponemus. Quilibet autem jam statim videt, non futuram heic nobis curam circa Postumos jam in lucem editos, quorum jura cum alii separatis tractatibus jam illustrarint, nos & illos nunc non inspicemus & hæc reticebimus nisi continentia causæ subinde quid velit.

V I S I O S E C U N D A.

**P**Rimiter autem videtur mihi pro regula observandum esse quod Ulpianus habet in *l. 1. §. 1. ff. de inspic. ventr. Partus* (sunt verba præfati J.Cti) *antequam edatur mulieris portio est vel viscerum. Conf. l. 39. de pæn. l. 9. §. 1. in fin. ff. ad L. Falcid.*

§. 1. Ex qua Regula uti in genere sequi videtur, idem juris esse debere in ventre quod in ipsa matre, ita specialia multa ex



eodem proporro profluunt. Veluti 1. ventrem in dominio ejus esse, cujus ipsa ventrem gerens mater sit. Ita si ancilla mea prægnans sit, infans qui utero ejus sive ex me sive ab alio conceptus est, ad me pertinet, accessionis scilicet jure, quia ceu portio & pars ancillæ meæ inhæret §. 19. l. de rer. div. & quamvis postea partus ille edatur & a matre separetur, tamen meus manet ex ratione, non tam quod accessionis jure mihi adhuc competat l. 3. ff. de pec. leg. l. 63. de leg. 1. sed quod semel meum sine facto meo ad alium transferri nequeat. l. 11. ff. de R. F.

## VISIO TERTIA.

**E**X eadem regula sequi videtur 2. Ventrem non haberi pro jam nato sed nec pro homine l. 9. f. ad L. Falcid. l. 2. mort. inf. Sed hoc perpetuum non est. Cum enim venter certo speretur in lucem proditurus arg. l. 231. de V. S. l. 3. si pars her. pet. l. 2. ff. de mort. infer. §. 1. l. de exh. liber. nemo autem propter naturalem quæ inter omnes homines est cognationem l. 3. ff. de F. & F. invidere alteri debeat commodum quod tandem in eundem Divino favore devolvetur, ideo jure cautum est, ventrem tunc pro jam nato haberi quando de ipsius commodo agitur l. 7. & 26. ff. de stat. hom. l. 231. de V. S. §. pen. l. de tutel. l. 30. §. 1. de acq. her.

§. 1. Ex quibus textibus hæc educitur observatio: *Venter pro nato habetur uno casu, cum de ipsius commodis agitur, at quando de alterius hominis commodo principaliter, aut de ipsius Ventris detrimento quaestio est, manet venter, & pro nato non habetur.* Secundum quæ intelligendi textus qui ventrem hominem esse negant vel affirmant. Homo est si de commodo ejus agitur: Non est, si de incommodo: Scio, alios hæc ita conciliare, ut homo sit, postquam partus jam anima & membris instructus est: sin iis nondum præditus est, ut homo in jure non sit. Sed non videtur hac sententia soliditatem habere: cum certum sit, etiam conceptionis tempore partum pro nato, adeoque pro homine, haberi, si id ipsi proficuum sit. pr. l. de ingen. quod latius patebit ubi infra de abortu agemus.

§. 2. Ex hac observatione sequitur (1.) non tantum ventri tutorem dari posse. §. 4. l. tutel. sed & cum pater Titium tuto-

rem



rem liberis dat, etiam ventri eundem datum censendum esse §. 5. *l. de testam. tutel.* Nec obstat *l. 20. ff. de tut. & curat. dat.* Respondet Tiraquell. *d. retr. gent. §. 1. gl. 9. n. 78.* ideo tutorem non dari quia venter non est persona. Sed quia hæc ratio etiam testamentariam tutelam a ventre arcet *contra d. §. 4. & d. §. 5.* ideo ego malo respondere, dictam *l. 20.* loqui de tutela dativa *ibi: edito compr. junct. rubr. d. 1.* quæ Jurisdictionis extraordinariæ est *l. 6. ff. de tutel.* Magistratus ergo tutorem dare nequit ventri quia id Lege ei concessum non est: potest curatorem, quia edictum id constituit *d. l. 20.* ex ratione forte quod hic principalis bonorum cura esse possit.

§. 3. Sequitur (2.) si quis heredes liberos suos instituerit, postumos quoque heredes futuros. *Brunnem. ad l. 17. pr. ff. de leg. 1. n. 1.* Simili ratione (3.) si quis liberis quid donaverit aut legaverit, etiam ventri donatum tribuemus. *Dissentit Gloss in l. 17. ff. de leg. 1. Vinn. ad §. 1. de test. tutel.* Quod si tamen legatum aliquod ventri damnosum futurum sit, sequitur (4.) Ventrem pro nato non haberi. Sed an legatum alicui damnosum esse potest? Omnino. Sume: Mævius filiam Cajam aliosque liberos habens hoc modo testatur. Filius meus Sempronius esto heres. Cæteros exheredes volo. Filiabus meis do lego centum. Quod si jam hoc casu posthuma quoque filiæ nomine veniret & pro jam nata haberetur, sequeretur testamentum Mævii de Jure veteri subsistere, utpote filia legitime, & inter cæteros & cum legati relictione, exheredata: *vid. pr. & §. 1. vers. dum tamen. l. de exher. lib.* cum autem illa testamenti subsistentia in dampnum posthumæ cederet, utpote cum testamentum totum rumpi ipsi magis proficuum sit, sequitur tali casu postumam pro nata non esse habendam. Ita intellige *legem 17. pr. ff. de leg. 1. Confer. Alciat. 8. parerg. 13.*

#### V I S I O   Q U A R T A.

**E**X hisce videtur (5.) profluere decisio nobilis quæstionis, an venter recte hodieque exheredetur? Scilicet, an infans qui in utero est valide exheredari possit, post Nov. 115. cap. 3. ubi sancitur, liberos valide exheredari non posse nisi exheredationis probabilis



probabilis causa, una ex quatuordecim illis quæ ibi enarrantur, testamento parentum expresse fuerit inserta? Videbatur dicendum, postumos non recte exheredari, tum quod exheredari, damnosum sit, tum quoniam in postumum ventre adhuc conclusum nulla causa ex quatuordecim illis cadere potest. Sane ita post alios sentit D. Rhet. *Meditat. Academ.* 14. 1b. 18. & Struv. ff. 32. 35. limitante tamen ibidem Lynckero, nisi scil. exhereditatio sit bona mente facta. l. 18. ff. de lib. & post.

§. 1. Econtra Vinnius *comm. ad §. 2. l. de inoff. testam. num. 3.* Huberus *pral. ad l. de exh. lib. n. 4.* aliique, postumum & hodie recte exheredari posse, existimant. Horum mihi sententia perplacet, etsi argumenta quæ pro hac sententia adducunt, mea facere nolim. Utar autem ratione nova, sed quæ ex superioribus nostris consequitur.

§. 2. Ubi præmittendum, testamenta parentum, quibus causa justa atque probabilis inserta non est, quoad institutionem quidem heredis esse ipso jure nullam, attamen quoad legata, similiaque capitula firmum esse atque subsistere. Ita censet communis Doctorum sententia, quam & nostram facimus, per *Nov. 115. cap. 3. Vid. Irner. injur. vapul. coit. 6.* Aliter res se habet in testamento per querelam inofficiosi rescisso: tunc enim totum testamentum nihil valet. l. 8. §. p. l. 28. ff. inoff. test. *Vid. 2. Aphor. Justin. 134.*

§. 3. Quia autem postumo commodius & magis proficuum est, testamentum rescindere, quam ex *cap. 3. Novell. 115.* nullum dicere, utpote cum patri tum liceret legatis hereditatem valde exinanire, quod ventri oppido quam damnosum est: hinc concludo, *Novellam 115. cap. 3.* non pertinere ad postumos, consequenter dictum §. 1. *vers. sed postea. l. de exh. lib.* hactenus per *Novell. 115.* non esse abrogatum aut immutatum.

§. 4. Quod si tamen legatis aliisve ventri damnosis capitulis testamentum patris refertum non sit, ita ut testamentum nullum dicere inque possessionem statim mitti ventri utilius sit, a Vinni, Huberi, aliorumque modo visa sententia recedo: per *Vif. 3. §. 1.*

§. 5. Ex



§. 5. Ex quibus iisdem porro sequitur, eodem distinctionis fœdere componendum esse dissidium DD. de quo post alios D. Rhet. 15. *meditat.* 22. an postumus scil. præteritus adhuc hodie agnascendo testamentum rumpat?

V I S I O Q U I N T A.

**E**X iisdem principiis consequi videtur (6.) si mulier prægnans sit, ita ut venter ad hereditatem admitti debeat, Titium aliquem qui eandem hereditatem sibi vindicare gestit, non debere totam petere, nec eandem consequi, sed tantum partem, parte ventri relicta l. 3. ff. *si pars her. pet.* Sed quam partem Titius vindicabit? Vel incertam, vel certam. Incertam, ut, si primitus negetur heres esse, postumis postea editis in promptu sit divisio. *Hub. ff. d. i. n. ult.* Sed quotam certam? Quartam. Cum enim quinque nasci possint infantes l. 36. ff. *de solut.* & tamen plerumque unus saltem uno partu edi solet, placuit istius numeri quinarium medietatem eligere, ita ut censeatur, tres ventres utero materno claudi; qui tres igitur cum pro natis habeantur, utpote cum de hereditatis commodo agatur, restat ut Titius quartam partem petat. *d. l. 3.*

§. 1. Sane etiam tergeminos uno partu nonnunquam edi exemplis demonstratur *in d. l. 3.* Ut enim exterorum historicorum auctoritates, ad enarrandum, quid Peloponnesi atque Ægypti factum fuerit, non adducam latius, ipsi Romani domesticum nobile exemplum oculis suis viderunt in tribus Horatiis quos etsi Senatorii ordinis & uno partu editos adeoque tenerioris forte conditionis, cinctos tamen ad prælium pro patriæ salute sustinendum ipsi illi quos dixi Romani viderunt, qui sensus est *dictæ legis 3. si pars her. pet.* ut nulla ibidem emendatione opus sit, etsi eam vellent Cujac. & Gothofred. *ad d. l. 3.* nec curanda sint verba Wissenbachii *ad d. iiii. ff. th. ult.* ubi ait: *Verba Pauli in d. l. in gravi mendo cubant, non uno argumento.* Nec notari mereatur, quod notabile putat Bechman. *ad ff. exerc. 12. in fin.* ubi scribit: *Nota, quosdam critica manu expungere in d. l. 3. vocem Horatios, cum alias esset contra fidem historię Romana.* Ego potius notabo (potest & alius pace mea similia notare) *to vidimus* etiam alibi ita

B

fumi



sumi pro: *aliqui ex nobis viderunt. Ut in illo: Sic judicantem vidimus Æacum. & ex D. Huber. pral. ff. ad d. tit. locum Plinii 7. epistol. ad Ruf. ubi τὸ cinctus pro armatus positum reperies. Verba Plinii sunt hæc: Sunt in castris, sicut in literis, plures cultu pagano, quos cinctos & armatos invenies.*

§. 2. Superiori autem decisioni nostræ, quartam partem peti posse, dicat quis obstare l. 30. §. 6. ff. de acq. vel amitt. her. & l. 36. ff. de solut. cum in illo textu dimidia & expresse non quarta pars, in hoc autem etiam sexta veniat. Resp. Leges illæ intelligendæ non de eo quod a iudice, interim dum venter adhuc invisibilis est inque ventre latet, decernitur, sed de eventu pro qua parte quis postea, cum uxor jam peperit, effectu heres factus est: loquuntur de temporibus partum sequentibus non de antecedentibus. Bechm. d. l. D. Voet. ad d. t. ff. in f. Opp. Atqui incertæ partis vindicatio dari debet l. 1. in fin. ff. si pars her. pat. Resp. 1. id est in electione actoris, an quartam an autem incertam velit petere. arg. d. l. 1. in fin. ibi: *si incertus sit.* 2. etiam quarta illa pars incerta est. aliter 3. Pac. 3. concil. 38. Ait Struvius ff. 10. 74. in fin. non obstare nobis textus in l. 7. ff. de reb. dub. & in l. 3. §. 10. de suis. & verum est quod dicit. non obstant. Nam ille loquitur de casu, ubi venter desit venter esse, hoc est, natus est: hic autem cum certum est, ventrem plane nullum adesse. Paulus autem in d. l. 3. & nos de ventre loquimur.

§. 3. Cæterum moribus legem 36. ff. de solut. alicubi receptam esse, testatur Bockelman. ff. si pars her. quest. penult. forte quod Aristotelis, qui memoratur in d. l. 36. scripsisse quinque nasci posse eo quod mulieres quinque habeant receptacula, autoritas ibidem major fuerit quam equidem hodie apud Cartesianos. Sed & Gothofred. not. ad d. l. 36. negat, Aristotelem hæc posteriora scripsisse. Interim Parisiis mense Februario anni 1688. fœminam uno partu quinque filias vivas sacroque fonte ablutas edidisse, narratum novissime legi in Relation. Historie. Recensu Auctum. de anno 1688. cap. 16.

§. 4. Illud non expecto, ut mihi quis opponat l. 3. & seqq. ff. de LL. Ego respondeo, potissimam legum partem ferri de rebus que



quæ plerumque accidunt: Aliquas autem & paucas tantum de  
iis esse latas quæ rarerentur accidunt. *l. 5. ibi: potius. ff. eod. junct.*  
*§. 22. l. de rer. div. l. 7. §. 3. ff. de acquir. rer. dom. d. l. 3. si pars her.*  
*pet. l. 56. de usufr. l. 36. de solut. l. 12. C. de legit. hered.* Alias con-  
ciliationes, si nostra non placet, vide apud D. Rhet. 10. *Meditat.*  
*Academ. 35. D. Feltm. ad d. l. 5. de legib. Pac. 1. Concil. 10. Wis-*  
*senb. 1. ff. 4. ib. 9.*

V I S I O S E X T A.

**C**onsequitur porro (7.) Ventrem, conceptum prius quam  
pater Senatu moveretur, Senatorium esse, & postea natum  
Senatoris tamen filium existere *l. 7. §. 1. ff. de Senator.* Cujus ite-  
rum argumento non dubitamus asserere, illos, qui concepti  
erant antequam pater ex collegio opificum ejiceretur, nihilomi-  
nus pro filiis opificum habendos esse eorumque privilegiis gau-  
dere debere. *Carpzov. 2. decis. 298. n. 17. seqq.* Sed & nobiles es-  
se qui concepti sunt antequam pater amitteret nobilitatem. *Felt-*  
*man. ad d. l. 7. §. 1. num. 4. Brunneinan. ibid.* Sacerdotis item fi-  
lium non esse qui a patre non sacerdote conceptus est, etsi ille  
pater natiuitatis tempore Sacerdos existat. *Nicas. a Voerda ad §.*  
*illud autem. l. quib. m. jus p. p. solv. num. 3.* quod admitto si an-  
tea in splendidiori dignitate vixit. Sin inter minorum gentium ci-  
ues antea delituit pater, Sacerdotis filius censebitur. Sed apud  
Catholicos, qui Sacerdotibus filios ex legitimo thoro non largiun-  
tur, decisio *Nicasii* absque hac distinctione nostra procedet.

§. 1. Sed & venter eo tempore cum avus Senatoria dignitate  
fulgebat, etsi patre jam Senatu moto, conceptus, avi nihilomi-  
ous dignitate utetur *d. l. 7. §. 2.* cuius juris ratio in eo videri po-  
test sita esse, quod Jure Civili nepotes ex filio (de eo enim tex-  
tus agit) in avi potestate sint. Quo admissio, verissimum erit  
quod *Feltman. ad d. l. 7. §. 2.* asserit hodie nepotem ex persona avi  
non manere in collegio opificum si pater, antequam venter con-  
ciperetur, fuerit ejectus. Ratio est, quod nepos hodie non sit  
in potestate avi, sed solius patris. Ratio rationis est: quod nu-  
ptiæ moribus nostri sæculi sint modus tollendi patriam potesta-  
tem. *vid. Disput. de jure filiorum. membr. 2. §. 2.*



§. 2. Quod si tamen patriam potestatem pro causa hujus juris agnoscere nolis *arg. l. 35. ff. de adopt. (ubi dignitas per adoptionem, que patriam potestatem confert ut notum est, non minuitur, quod facere deberet, si dignitas a patria potestate penderet. add. arg. l. 11. C. de question. ubi etiam pronepotibus subvenitur.)* sed rationem decidendi in favore dignitatis & conservandi splendoris familiarum honestarum aut illustrium colles, jam nihil causæ videre possum, quare jus dictæ l. 7. §. 2. & quæ ex argumento ejus solide educuntur, hodieque obtinere etiam non debeant.

§. 3. Operæ ut pretium adeo fuerit, dispicere an dicta l. 7. §. 2. obtinet l. 11. C. de question. Resp. 1. In Quæstionibus, ut de veritate criminis constare possit, singulari jure id admissum est. Feltman. *ad d. l. 7. §. 2. num. 2.* Resp. 2. Loquitur textus, de liberis illegitime natis & quos violati pudoris macula adpersit. Brunnem. *ad d. l. 11.* Resp. 3. Intelligenda de nepote concepto postquam jam avus quoque dignitate exutus fuerat. Sed quemadmodum talem nepotem avi dignitate gaudere nego, ita de eodem dictam l. 11. loqui, non existimo. Diss. Brunnem. *d. l.*

V I S I O S E P T I M A.

**E**X dictis ulterius consequitur, si parentes conditionem suam, quam liberi sequantur, tempore quo venter adhuc in utero latitat, immutaverint, ventrem eo tempore pro nato haberi (& consequenter postea revera natum, conditionem parentum, ejus temporis, sequi) quo parentes in favorabili conditione fuerunt: eo autem contra tempore quo humilioris aut liberis non proficuae conditionis extiterunt, pro natis non haberi.

§. 1. Quo in juris articulo ut recto tramite incedamus, dispiciendum ante omnia est, an venter ex justis nuptiis, an vero ex alia Venere conceptus sit.

§. 2. Priori casu juris regula est: Partus sequitur conditionem patris. l. 19. ff. de stat. hom. Ratio, quia & ipsa mater ejusdem tum conditionis est: *arg. l. 13. C. de dignit.* Posteriori casu autem hæc: Partus sequitur matrem d. l. 19. & l. 24. ff. d. t. Ratio, quia tum patrem habere non censetur §. pen. I. de nupt. utpote quem nuptiæ demonstrant l. 5. ff. de in jus voc.

§. 3. Ex



§. 3. Ex quibus sequitur: Ventrem ex patre nobili justis nuptiis conceptum, etsi ille pater tantum aliquo tempore, dum venter in ventre est, nobilis fuerit, nobilitate gaudere. Quod amplio: Etsi mater fuerit ignobilis. *per §. 1. & §. 2.* Quod jus etiam Belgæ, Angli, Galli, aliique sequuntur, apud D. Feltm. *ad l. 19. ff. de stat. hom. num. 1.* Sed hanc ampliationem iterum limitabis quoad Germanos: & in specie quoad Clivios, Monasterienses, Marcanos, Colonenses, Gelros, aliosque. D. Feltm. *d. l. & Doctores ibi citati. Add. D. Rhet. 1. juris publ. 21.*

§. 4. Contra, si pater Plebeji aut Civici ordinis fuerit, mater vero nobilis, id liberis nobilitatem non tribuet. *per §. 1. & §. 2.* Eadem ratio est in Comitibus, Principibus, &c. Quod tamen limitabis, nisi mos lexve regionis aliud velit. *l. 1. §. 2. munic.* Ita apud Campanos Galliarum populos, cum in acie multi periissent nobiles, horum viduis hoc fuit indultum, ut ex plebeis tollerent nobilem progeniem: atque inde in hanc usque diem ibi sufficit matrem esse nobilem. Adhuc aliud de Cauniis narrat D. Feltm. *d. l. num. 4.*

§. 5. Cum igitur homines proprii (leibeigene / eigenhörige) justas copulent nuptias, Feltman. *ad l. 19. ff. de stat. hom. n. ult. Mæv. 2. decision. 232.* consequitur, ventrem conceptum ex homine libero & matre propria liberum esse. Brunneman. *ad d. l. 19. Mæv. d. loco.* Quod tamen notabiliter limitabis, nisi legibus aut moribus aliud cautum. Vid. Feltman. *ad d. l. 19. n. f. Eyben. ad pr. l. de ingen. n. 5. Mæv. ad jus Lubec. 1. tit. 3. n. 46. Stamm. de servit. personal. l. 3. c. 15. num. 1. Strijck. ad §. 4. l. de jure person. De jure Brandenburgico disce ex Wigenhumb's Recht und Ordn. cap. 1. §. 11. 12.* Et secundum hanc limitationem intellige Struvium *ff. 40. 72.*

V I S I O O C T A V A.

**A**Dhuc ex dictis fluere videtur, ventrem non debere abigi ante tempus, ne abigendo occidatur: eumque, qui contra fecerit, tanquam homicidam puniendum esse.

§. 1. Imprimis hic ergo tenendum, quænam homicidii pœna sit. Ubi animadverto, pro diversitate temporum, de Jure Civili triplicem. Primo enim ipsa Lex Cornelia deportationem omnium-

B 3 que



que bonorum publicationem dictavit. l. 3. §. pen. ff. ad L. Cornel. de Sic. Postea invaluit, ut honestiores in insulam deportarentur, humiliores vero capite plecterentur d. l. 3. §. pen. Denique jure novissimo omnibus tam honestioribus quam humilioribus capitis pœna præstituta est. §. 4. l. de publ. judic. l. un. vers. & merito. C. de rapt. virg. l. 3. §. patiatur. C. de episc. audient. Anth. Matth. de crim. 48. §. cap. 3. pr.

§. 2. Antequam pergamus, notandum est, deportationem alia voce vocari *exilium*: & quidem proprie. l. 2. ff. de publ. jud. add. Vinn. comm. ad §. 2. l. quib. mod. jus patr. pot. fin. n. 1.

§. 3. Hisce præmissis, videtur dicendum, quod abigens ventrem capitis pœna sit afficiendus. Si enim ventri commodum & utile est non abigi, non occidi, sequitur eum hoc respectu pronato proque homine haberi. Consequenter, qui ventrem occidit, homicidam esse. Consequenter, illum capitis pœnam debere oppetere. per §. 1. b. Rationem aliam addere licet ex loco Ciceronis infra §. 8. adducto.

§. 4. Hanc visionem meam amplio (1.) ut & partum inanimatum (si talis est. vid. §. 7. in fine infra) abigens eadem capitis pœna affici debeat. Nam & conceptionis tempore venter homo est. supra vis. 3. §. 1. Et profecto partus animæ destituti interesse adhuc majus est, quam eadem præditi: ita ut inanimatus adhuc majori jure pro homine hic habendus sit, quam animatus, utpote cui dum abigitur, non tantum vitæ temporalis spes commodumque eripitur, sed & æternæ beatitudinis, qua nunquam intermoritura alias cum felicitate frui potuisset. Adde, quod Romanis partus conceptus *homo* quoque visus & nominatus fuerit. vid. §. 7. infr.

§. 5. Amplio (2.) etsi abortionis poculum effectu caruerit, intraque conatum steterit. Cum enim homicidii conatus eadem pœna qua homicidium ipsum puniatur per leges & rationes quas adducit *Matthæus de crimin. lib. 48. tit. 5. cap. 3. num. 10.* & abactio partus homicidium sit: per §. 3. b. Sequitur, illum qui conatus est ventrem abigere, abortionis forte sumpto poculo, homicidii pœna teneri, ultoremque gladium debere experiri. per §. 4. l. de publ. jud. & vis. huj. §. 1.

§. 6. Quæ



§. 6. Quæ diximus, abactionem sc. ventris capitis pœna vindicari, etiam ipsum conatum, etsi per rationes supra adductas factis stabilitum est, potest tamen ulterius firmari per l. 14. C. de Si-  
*car.* ubi Imperatores Valens, Valentinianus & Gratianus A. C. 374. (aut, si mavis, Justinianus A. C. 534. arg. *Constit. Cordi nobis est.* §. 3. & 4.) ita sanciunt: *Si quis necandi infantis piaculum aggressus aggressus sit, sciat, se capitali supplicio esse puniendum.*

§. 7. Quinimo jam illo tempore quo Legis Cornelix pœna summum supplicium non erat, jam excepti videntur fuisse duo casus, quorum primus est si ipso abortionis poculo, mater cum ventre perisset l. 38. §. 5. ff. de pœn. cujus exceptionis ratio nisi fallor solida, in gemino matris scil. & ventris homicidio, sita est. Igitur in d. l. 38. §. 5. per *mulierem* intelligimus *matrem* quæ abortionis poculo perit, eo sensu quo prævit nobis Treutler. 1. *disputat.* 2. *ib.* 1. *lit. c.* quem postea alii, etsi quidam suppresso Treutleri nomine, secuti sunt. Vid. Struv. ff. 48. *ib.* 8. Frantzk. *exercit.* 14. *quest. ult.* Goehausen. 2. *peric. Acad.* 15. Ungepaur. *exerc. Justin.* *ult. q. ult.* Gœddæus ad l. 1. ff. de V. S. n. 32. & elegantissime præ cœteris Salmuth. 1. *rer. memorabil.* 46. *sub fin.* Quod si tamen ab Illorum explicatione discedere, & mulierem pereuntem in d. l. 38. §. 5. ad poculum quoque amatorium referre velis, non tamen inde mulieres homines non esse recte collegeris: respondebo enim, verbum hominis aliquando sumi per excellentiam & in specie pro *viro*. ut non tantum apud *Plaut.* in *Cistell.* 4. 2. 52. aliosque bonæ notæ scriptores *Classicos*, sed & in *Juris* textibus cernere est l. *ult.* C. de *manumiss.* c. 5. x. de *homic. volunt.* *Conf. Matth.* 19. v. 10. Talis autem homo, id est, masculus, non est scemina adeoque verba finalia d. §. 5. ita accipio: *si eo mulier aut mas perierit.* Quid? si tertiam dicti §. 5ti interpretationem adderemus? Quid si enim dicam, versiculum *Si ea &c.* pertinere ad solum poculum abortionis idque velle *ad EO* quod idem sit quod *illo*, & respiciat, ut assolet, ad remotiori loco positum, abortionis scil. poculum? & tum talis esset sensus: Quod si abortionis poculo mulier mater & venter perierit &c. id est, si mater cum ventre simul perierit, tum ultimum mortis supplicium duplici isti homicidio



micidio dictabitur. Nec obstat *τò aut* quod est in *d. l. 38. §. 5.* nam illud sæpe idem est quod *τò*: ut docet J.C. in *l. sæpe 53. ff. de V. S.* Per *hominem* autem in *d. l. 39. §. 5.* intelligi *Ventrem*, nihil miri, utpote de cuius commodo hic agitur. *supra vis. 3. §. 1.* Conferatur locus Juvenalis:

*Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt*

*Quæ steriles facit, atque HOMINES in ventre necandos.*

Juvenal. Satyr. 6. v. 595. 596. edit. Cl. Henninl. ubi Grangæus notat: *hominem* de foetu in ventre dici. Sic Plin. 7. 5: *HOMO toto anno τò incerto gignitur tempore.* & alibi: *Judices fiunt hominis inchoati.* Quæ loca ut ad stabiliendum tertium illum intellectum nostrum visi textus faciunt: Ita mire quoque confirmant sententiam nostram supra propositam, etiam partum in principio conceptionis abigentem, hominem abigere, consequenter ut homicidam pœna afficiendum esse. Quod non parum fundamenti insuper habere posset ex sententia quæ circumfertur celebris Leuwenhuckii, qui statim a conceptione partum sive ventrem animatum esse & vivere, asserere perhibetur.

§. 8. Alter casus est in *l. Cicero 39 ff. de pœn.* vid. Menoch. 2. *arbitr. judic. 357. n. 15. seq.* Ratio singularitatis est quia & pecunia istic intervenit, & hereditas indebite secundis heredibus auferitur. Quam rationem & Menoch. *d. l.* adducit, & ipse Cicero inculcat in Oratione pro Cluentio ex qua dicta *lex 39. pr.* desumpta est. Ciceronis verba sunt hæc: *Mulier quadam Milesia quod ab heredibus secundis accepta pecunia partum sibi medicamentis abegisset rei capitalis damnata est. neque injuria. quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, heredem familia, designatum resp. civem sustulisset, &c.* Quæ verba citat & Frantzk. *d. q. ult.* qui hætenus nobiscum in *d. l. 39.* singularitatem agnoscit. Dissentit D. Coccej. *ad tit. ff. de extr. crim.* Et quamvis *τò capitalis* quod est in *d. l. 39.* etiam de exilio explicari alias posset: Menoch. *d. l. n. 15.* manifestum tamen est id hac in lege exilio contradistingui: sensusque *d. l. 39. vers. Sed τò.* est hic: *Quamvis mulier pecunia accepta secundos heredes non exclusit, tamen puniri debere rescripserunt Imperatores, sed temporali exilio tantum.* Ergo capitale sumitur



fumitur in hac lege stricte pro eo cuius pœna mors est naturalis  
ut & alibi. *vid. DD. ad §. 2. l. de publ. jud.*

§. 9. Cœterum nos non tantum, his duobus casibus, sed in  
genere regulariter abortionem procurantes capitis pœnam subire,  
supra diximus. A qua sententia cum Ungepauerus, Frantzkius,  
alique dissentiant, videamus, quid illos in contrarium moverit.  
Adducitur 1. l. 9. §. 1. ff. ad L. Falcid. Responso patet ex *vis. 3.*  
§. 1. *supra.* 2. Movetur l. 14. C. de *fid. libert.* Resp. Istud vete-  
rum iurgium & dubium ibi deciditur. 3. Nituntur l. 4. ff. de  
*extraord. crim.* Resp. 1. Quidam illum textum accipiunt de par-  
tu inanimato. Sed textus loquitur indistincte: ut recte Menoch.  
*d. l. num. 6* & Ungepaur. *d. quæst. ult.* & adde *supra* §. 4. *huj. vis.*  
Adeoque respondeo 2. per §. 1. *huj. vis.* Instas. Textus non lo-  
quitur de deportatione sed de exilio. Resp. per §. 2. *huj. vis.*  
Inst. Deportatio non fit ad tempus l. 18 §. 1. *de interd. & rel.*  
D. Huber. 3. *digr. 10. n. 1.* at dicta *lex 4. de extr. crim.* loquitur de  
temporali exilio. Respond. Textus in l. 18. §. 1. *de int. & rel.* est  
apocryphus, privata autoritate a Jctis in Pandectas intrusus:  
contrariumque patet ex l. 39. ff. de *pœn. & d. l. 4. de extr. crim. & c.*  
Conf. beatus D. Lauterbach. 1. *conclus. forens.* 7. Arthur. Duck. 1.  
*de auth. jur. civil. c. 4. n. 13.* 4. Citantur l. 8. ff. de *Sicar. l. 38.*  
§. 5. & l. 39. *de pœn.* Sed eadem est responso quæ ad *d. l. 4. de*  
*extr. crim.* 5. Opp. *c. odia. de R. F. in 6. & l. 192. §. 1. ff. eod.*  
Resp. Procedunt in re dubia *d. l. 192. §. 1. & c.*

§. 10. Hæc ita de Jure Civili. De Jure Canonico autem & Ca-  
rolino, & secundum communem Doctorum sententiam, fori-  
que adeo praxin, distinguunt inter ventrem animatum & inani-  
matum ita ut inanimatum & nondum vitalem abigens extraor-  
dinariam pœnam oppetat: animatum vero sive vitalem, ultimi  
candidatus sit supplicii. *vid. Esbach. 4. 4. def. 1. Struv. ff. 48. 79.*  
Ungepaur. *exerc. Inst. ult. quæst. ult.* D. Coccej. *not. ad Struv. d. l.*  
Ubi tum iterum non negligenda quæstio exoritur, quis anima-  
tus sive vitalis partus dicatur? Struvius equidem noster *d. l.* ani-  
matum fœtum ait post dimidium tempus quo uterum gesta-  
vit mulier. Sed eam Struvii sententiam ad *Saxones* restringen-  
dam



dam esse, notat Lyncker. *ad d. rh. 79.* & verum est alios Jctos post 40. dies foetum animatum esse censere. Lyncker. *d. l. Lauterbach. ff. eod.* Quantæ alias hac in parte Doctorum dissensiones sint, videre est apud Esbach. *4. 4. def. 1. Carpzov. Crim. 1. quæst. 11. num 6.* add. Eckolt. *ff. de extr. crim.* Interim ex supra adductis videre est, sententiam nostram (abigentem partum capitali pœnæ subjugari) pro parte a Doctorum communi Schola approbatam, ab Augusto item Carolo Quinto pro parte confirmatam, a Summo etiam Pontifice stabilitam, quin & praxi in foro receptam esse.

§. 11. Illud mirum videri cuipiam possit, quod mater parentesve alii ventrem animatum abigentes, culei pœna ut parricidæ non afficiantur. Carpzov. *4. Constitut. 4. definit. 1.* nisi forte id inde est, quod postea placuerit delictorum pœnam debere posse arbitrariam, Groenwegen. *rubr. C. de pœn. & ad Auth. bona damnatorum. C. bon. proscrip.* Feltman. Philippi. Cypr. Regner. ab Oolterga *ad l. de publ. jud.* Adde de parricidio in specie *P. H. D. art. 131.* ibi: *Alles nach Recht der Rechtsgelehrten.* Interim, quantum ad Jus Civile, ex superioribus videtur concludendum esse, parentes partum abigentes culei pœnam debere sustinere. Nec obstant huic visioni *l. 4. extraord. crim. l. 8. ff. Sicar. l. 38. §. 5. l. 39. ff. pœn.* respondeo enim, eo tempore parricidium culeo non fuisse punitum. Scilicet, quod cœteris delictis (ex. gr. adulterio, furto, &c.) accidit, & accidere debet, ut, pro diversitate circumstantiarum omni fere die & loco subnascentium, crescere debeant delictorum pœnæ & minui, durare & alterari: ita & parricidii idem fatum fuit. Antiquitus enim culei pœna instituta fuit: quæ postea tamen desuetudine inumbrata est, sufficereque putarunt, si parricidis Legis Corneliæ de Sicariis pœna infligeretur. *l. 1. ff. de parricid. §. 6. l. de public. judic. & l. un. C. de par. qui lib. occid.* in quibus duobus posterioribus textibus *solenne* idem est quod *solitum, frequens, usu obtinens, receptum*: qua in significatione vocem hanc (*solennis*) apud Latinos etiam accipi, istis qui Latinæ linguæ solide operam navarunt, incognitum esse nequit: & firmatur ulterius *ex d. §. 6. ibi: nova. junct. d. l. 1. ff. de*

*ff. de*



*ff. de parricid.* Unde visio nostra est, in *l. 9. ff. parricid.* emblemata esse Triboniani: quod etiam vitum fuisse magno Jcto Wissenbachio emblem. *Trib. ad d. l. 9.* postea vidi.

V I S I O N O N A.

**N**ec minus ex dictis sequi videtur, foeminam praegnantem supplicio ultimo afficiendam non esse ante editum partum, ne partus infans una cum matre perimatur. *l. 3. ff. de poen. l. 18. stat. hom.* cum poenae debeant tenere autores suos *l. 22. C. de poen. cum simil.* quibus addi meretur elegans Trajani Augusti rescriptum in *l. 5. ff. poen.* *Satius esse, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.* Eadem & Areopagitarum visio fuit. *Aelian. 5. var. hist. 18. add. Quintil. ap. D. Van Eck ff. mort. inf.*

§. 1. Ex quibus iterum sequi videtur, de matre praegnante nequidem quaestionem habendam esse *d. l. 3. Lauterbach. ff. de quaest. in S. Carpzov. Crimin. q. 128. n. 46. Zoelius ff. de quaest. n. 44. ubi addit rationem, ne venter innocens patiatur.*

§. 2. Quin & sunt qui idem ad juramentum extendant & ad testimonium, ita ut neutrum in judicio praestare teneatur, *arg. l. 2. §. 4. si quis caut. in jud. sit. caus. non obt. vid. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 4. num. 7. ubi tamen n. 12. limitat.* Ratio hujus juris in eo sita videri potest, quod mulier in accedendo ad judicium in discrimen aliquod incidere possit: *Zacchias t. qq. med. legal. tit. 4. q. 8. n. 30. unde & in foro id jus observari, tradunt. v. Feltman. add. l. 2. §. 4. Eadem tamen ratio non efflagitat, ut mulieri praegnanti juramentum remittatur, aut ut exceptione ventris testimonium declinare possit: vid. Mævius 5. decis. 80. D. Feltm. ad l. 18. ff. de stat. homin. n. 2.*

V I S I O D E C I M A.

**E**x iisdem sequitur nec foeminam uterum gerentem foetu nondum extracto sepeliri debere *l. 2. ff. de mort. infer. cum historia Medica testetur, matres defunctas vivos peperisse infantes: Brunneinan. ad d. l. 2. ff. mort. inf.* Ita Gorgiae Epirotae in funere matris utero lapsi exemplum *ex Valerio Max. l. 1. c. ult. exhibet D. van Eck. ff. ad mort. infer. add. Bockelm. & Bechm. ibid.*

§. 1. Unde patet, foemina conjugata mortua, si de ventre



præsumtio vel rumor sit, Magistratum ea in re debere curiosum esse: non raro enim ventrem vivum cum matre sepeliri, cum tœtus debilis esse possit, & tamen adhuc vivus, existimat Brunne-  
man. *ad. d. l. 2.*

§. 2. Ut adeo laudanda sit lex illa Regia, quæ sepulturam mulieris prægnantis vetuit. *d. l. 2.* quemadmodum & alias leges Regias (quæ Juris Papyriani nomine alias veniunt *l. 2. §. 2. ff. O. F. & ibi beatus D. Holtermann.*) rationis & sanctitatis fundamentis innixas esse animadvertete licet, quam in rem egregia quædam commentatus nuper est G. vander Muelen *exercit. ad d. l. 2. §. 2. pag. 33. seq. ubi & leges illæ Regiæ: Ne Du cum simulacris colerentur. Ut qui festis diebus ab omni opere abstineret.*

S O L I D E O G L O R I A !

C O R O L L A R I A R E S P O N D E N T I S .

1. **I**nstitutiones non derogant Pandectis, ne quidem tum cum contrariari sibi videntur.
2. Virginem, vulneratam lesamve quæ dotem formosa in fronte gessit, æstimare quoque frontis circatrices posse, affirmo.
3. Ex Emphyteusi actionem stricti Juris esse, sentio cum DD. Commun. apud dissentientem D. Boeckm. ff. si ag. vect.
4. Matris consensus ad nuptias necessarius est.
5. Depositum etiam rerum immobilium esse, affirmo cum Lauterbachio, Vinnio, aliisque.
6. Quæ ipso jure nulla sunt, confirmantur v. D. Hub præl. ff. d. rit. nupt.
7. Actio de Tigno juncto in duplum contra mala fide jungentem mere pœnalis est. Dissentit D. Struv. ff. de tign. junct.
8. Studiosum Juris inter Sanctos collocamus.
9. Juris Consultum ihro Hochwürden vel HochEhrwürden / vel respective Hochwohl Ehrwürden / appellans, non errat.
10. Interdictum Salvianum datur contra tertium possessorem.
11. Frumentum ex alienis spicis excussum, excussum est §. 25. l. de rer. div. Opp. l. 7. §. 7. ff. de acq. rer. dom. Respondeo. Est textus Pandectarum, qui Institutionum textui cedere necesse habet. Eadem ratio est in Pictura: &c.
12. Qui Virgini invita osculum fixerit, injuriarum non tenetur.

F I N I S .



ALEXANDRI ARNOLDI PAGENSTECHERI

J. U. D. & Prof. Ord.

EPIGRAMMA

ad Nobilissimum & Ornatiss. Virum Juvenem

D. MATTHIAM HOBBELT,

Auditorem Convictoremque suum jucundissimum  
& nunc Respondentem gratissimum.

Quid? VENTRIS narras Hobbelt carissime JURA?

Cum THEMIDI VENTREM displicuisse scias. *a.*  
Nempe istam impertis VENTRE. Hem! date ferta, corollas.

Dota aut duc. Scis jus. Fœmina *honestâ* cluet.

Huc ades, & cœlo rursus delabere Virgo, *b.*

Hobbeliote ut des, Hobbeliumque tibi.

Cessas? ah video! Cœlo longum est iter. Ergo

*Cognate* expecta, quæ tibi certa, diem.

Tres studiis annos duce me nunc ferme dedisti,

Nec me aut te illius pœnituisse potest.

Adde duos, vel tres (Rhenus deposcit & Albis *c.*)

Ambiet & Sponsum Te Themis alma suum.

Interea flores anquiram fertaque, tædas

Queis cumulem atque caput sorte favente Tuum.

*a.* Jovis siquidem nuptias averfata Themis in Macedoniam profugit.

*b.* Virginem vocamus. Et si enim a Jove denique stuprata, quia id tamen per vim factum, macula inde notatur nulla, *Carpzov. Crim. q. 75. n. 78. & DD. Comm. per l. 13 § 7 ff & l. 20 C. adult.*

*c.* Digitum intendimus in Universitates ad Rhenum & Albim sitas, quas ad excolendum porro studium Juris D Respondens adibit.

TE victura canet, Te quæ nascetur ab illa  
Ætas, tam lepido tuta patrocinio:

Qui nondum natis, florens HOBBELTE juventa,

Auxilium præstas voce styloque Tuum;

Qualis eris quondam, doctis maturior annis,

Patronus justî, delictum Themidos?

L. M. P.

HENR. CHR. HENNIN. D. & P. P.



**A**udit *Venter*, homo *embryon*,  
 Puro in *Cælarei* fame *Codicis*,  
 Cùm jus ponit eis suum  
 Queis natura diem fortè negaverit.  
 Nostrùm sic *Uteri* suæ  
 Matris quisque tulit nomina turgidi;  
 Qui dum solvimur *amnio*  
 Non *Ventris* pariter ponimus omnia.  
 Nam vulgus *specori* sacra  
*Ventris* sic adolent omnia sordido,  
 Ut nullos *Homines* fere,  
 Sed *Ventres* videas vivere plurimos,  
 Dum matris redeant putres  
 In *Terræ* gremium: cætera *bestiæ*.  
 Quam non conveniat *Tibi*  
 Et *istis*, *Tua* jam, *Candide MATTHIA!*  
 Orbi dexteritas probat,  
*Illis* quæ publicè tam bene consulit.  
 Quòd *Venter* fueris, *Tibi*  
 Sors communis erat nascier omnium:  
 Sed qua parte vocem, catum  
 Te lactere *Deæ* *Pallados* ubera,  
 E *Patris* cerebro sata,  
 Foventisque animum nectare castali?  
 Nos de *Ventre* *Homine* doces  
 Ita ut Te vocitem nunc *Hominem Caput*;  
 Quod si pro meritis habet  
*Corpus* cui reliquo nutibus imperes,  
 Te *Virgo* aurea *Conjugem*,  
 Te *Consum* caleat patria *Civitas*.

*Respondenti Ornatissimo, Doctissimo,*  
*feliciterque ad alta surgenti,*  
 amicè ponebat

D. HUGUENINUS.  
 S. Th. D. & P.



S T A N C E S.

**L**E coup d'essay toujours est le plus difficile:  
 il ne reussit pas souvent:  
 D'ordinaire le plus savant  
 En choisit un sujet facile  
 Qu'il tenoit prêt lon - tems auparavant.

Ici, rien de tout cela.

**HOBBELT** veut un sujet qui fait peur a son Maître:  
 Et pour mieux faire connoître  
 La Science & le Cœur qu'il a,  
 Du premier coup il vient paroître  
 Pour le Droit des enfans qui sont encore a naître.

Pour moy j'avoüe qu'il le traite  
 Avec tant d'erudition,  
 Que voyant sa Dispute & polie & parfaite,  
 Je dis en admiration:

Est il possible qu'il l'ait faite?  
 Un viellard n'en sait pas tant que cet Embryon:  
 C'èi un Ventre de non, mais d'effet une Tête.

**WERNER JUSTIN PAGUENSTECHER,**  
 de Duisbourg au Pais de Cleves.

**S**Cinditur è Sylva rudis indigestaque moles,  
 Non valitura, Fabri ni redolata manu.  
 Ut ligno, Ingeniis sua non secus aspera, formam  
 Præripiunt, Studium quæ ressecata dolet.  
 Naviter id pandit hæc Dissertatio, AMICE!  
 Jura ferens Ventri dexteritate tuâ.  
 Sic Juvenem cernens Te Te poluisse, fatebor,  
 Hoc est clarum quod \* Nomen & Omen habes.

\* Hobbel/ i. e. latinè dolabra.

*Paucissimis quidem hisce Amicitia tesseram  
 Amico suo Amicissimo gratulabundus  
 ponere voluit, debuit*

**F R I D. C H R I S T. Hanov.**



OCTOSTICHON.

Juridicæ melius poterant haut ponier alta  
 Fundamenta Themis, vario queis ordine corpus  
 Ædificare queas reliquum, documenta legendo.  
 Si pergas à Venire gradus pertexere cunctos,  
 Infantis, Pueri, Juvenisque, Virique, Senisque;  
 Nil erit ambiguum deinceps in Corpore Juris.  
 Gratulor exorto per tot molimina cursum,  
 Quem precor ut merita lauro Themidea coronet!

*Sincera amicitia Tholo, sincerum  
 hoc anathema suspendit*

GEORG. WOLFFGANG. Zügel/  
 Ysenburgo - Büdingensis.

---

Auff Denselben.

Was das Hänschen in dem Keller / Tryntchen in der  
 Küchen habe  
 An Vorrechten / welche ihnen jemahls Pabst und Kayser gabel  
 Nach-zu-suchen / auß-zu-legen / und mit kluger Weisheit schliche-  
 ten /  
 Das ist für die Nachwelt sorgen / und dieselbe sich verpflichten.

JOH. PETR. von ACHEN,  
 LL. Stud.



CHRIST. HANOV.



Duisburg, Diss., 1661-33

(1)

ULB Halle

3

004 527 046



Sb

107









J. C.  
 NIANEÆ  
 1691, 1  
 R E  
 im Keller)  
 JURE,  
 D I O  
 atque Incluti  
 ECHERI.  
 ue Juridicæ  
 linarii,  
 d. 12. Decembr.  
 suscipit  
 O B B E L T,  
 I.  
 ENUM,  
 cadem. Typograph.  
 KCI.

14 283  
 Embryo